



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. I. Omnes Adæ filios Iesus Christus ad salutem tenerrimè vocat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)



PRIMA PARS.

VBI PRAEMISSA VO-  
CATIONE, PROPOSITO-  
què salutis æternæ fine, gra-  
uora impedimenta Chri-  
stianæ perfectionis  
remouentur.

Cap. I. *Omnes Adæ filios Iesus  
Christus ad salutem tener-  
rimè vocat.*

**V**ENITE ad me omnes  
Adæ filij, qui laboratis,  
& graui peccatorum, ac  
pænarum pondere one-  
rati estis: & ego, qui sum  
diues in misericordia, visceribus ma-  
ternis reficiam vos. Cur obturatis au-  
res cordis, sicut aspides surdæ, quæ vo-  
cem incantantis audire timent, ne for-  
tè cor mutant, ac mansuescant? Nun-  
quid venenum insanabile, per vocem  
incantantis sapienter, euomere, ac mi-  
tescere timetis? Venite filij dulcissimi,  
& audite

& audite me: & timorem Domini docebo vos. Tollite iugum meum super vos, quod ego vna vobiscum sustinebo, & genua debilia roborabo. Doteo vicem vestram, o pars magna hereditatis meę: consilio quippe parum sano, quinque iuga bouum pretio magno emistis, & fertis pondera importabilia, quę dorsum semper incuruant, & vnum, ac leue iugum meum, quod æternę vitę luera parit, proteruē fugitis, & horretis. Certē, ab vtero Heuę matris vestrę, infoeliciter errastis: & sub onere gementes mortem sempiternam multo sumptu mercamini. Reuertimini ergo ad cor, filij prodigi substantię meę, & ego suscipiam, & strictissimē amplectar vos, tanquam fidissimos amicos meos, & super vnoquoquē vestrum lætabor copiosius, quàm supra nonaginta nouem iustos, qui non indigent poenitentia. Quid cunctamini, optatissima præda mea? Festinate iam subire leue onus meum: & in schola sapientię melle dulcioris, discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia regere, non mira-

cula patrare, sed quia mitis sum, & humilis corde, cuius imitatione amara quæque dulcescunt.

*Cap. II. Hortatur ne filij Adæ quærant solatia mundi.*

**N**Oui ceruicem vestram duram, filij Adæ: semper enim dulcissimo spiritui meo resististis, non fidentes promissis meis, sed auidè quærentes solatia peregrina. Sed nunc saltem, inclinata iam die, conuertimini ad me, & sub iugo meo suauissimo inuenietis requiem fatigatis animabus vestris. Tempus est, vt in hora nouissima, quærat me, & mundi vanitati antepontis suauissimam amicitiam meam. Venite ergo, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quid vultis vobis in via Aegypti, vt bibatis aquam turbidam? & quid vobis cum via Assyriorum, vt profanas aquas hauriatis? Calix in manu mea quàm præclarus est, è quo vsque ad satietatem bibunt fidèles amici mei.